

z Calov. hic Vat. Durham.

tatorum nonnulli (z), ut nullum quarendum sensum literalem & historicum dicerent; frustra autem referri ad temporale Salomonis cum foemina Aegyptia vel Judaea connubium, quae non nisi de Spirituali Jesu Christi cum Ecclesia foedere scripta sunt. Fatemur quidem ultro, citra temeritatis & impudentiae notam nunquam committi potuisse, ut omnia ad literam, spirituali sensu excluso, exponerentur. Id enim praeterquam quod offendiculo esset inevitabili legentibus, tantundem haberetur ac si quis toto ex lectione ejus Operis fructu se ipsum privaret. Si quid tamen minus est periculi in opinione, quae omnia de Jesu Christo ad literam interpretatur, quam in ea quae omnia ad literam de Salomone exponit, priorem tamen opinionem non continuo certam asseruntque & ab omni immunem discrimine censemus. In veteri Lege res omnes sub figurarum umbraculo latebant. Vetus Testamentum adeoque & Canticum Canticorum perpetua allegoria intexitur, allegoria, inquam, duplici instructa sensu. Primum offert Judaeis carnalibus, secundum spiritualibus; ille praesentia, hic futura respiciebat: iste Jesum Christum, alius Salomonem designabat. Judaei Canticum exponunt de casto Domini cum Synagoga totaque Judaeorum gente connubio. Christiani de foedere Jesu Christi cum Ecclesia.

a Concil. CP. II. Collat. 4. art. 68. 69. 70. 71. & Epist. Pelagii 2. Cum Theodorus Canticum Canticorum vellet exponere, & non ad commentum, sed potius ad deliramenta laboraret, per hunc librum Aethiopsina blanditum esse professus est.

\* Conc. CP. II. collat. 4. ar. 71.

b Ibid. art. 68. 69.

Ex quo Concilium Constantinopolitanum II. (a), deliria Theodori Mopsuesteni, ejusque in Cantica Commentarium damnavit, quo in Opere vir ille impius omnia ad nuptias Salomonis cum filia Regis Aegypti devolvebat; imponendum tantummodo frantum censuit eorum licentiae, qui totos se ad literalem sensum tradabant, nihil sensum spirituales morati, quem maxime intendisse S. Spiritum constat. Nunquam tamen rejiciendos improbandosque censet Patres illos & Interpretes, qui sensu literali & historico admisso spirituales maxime praeserunt, suamque interpretationem Jesu Christo accommodant. Hanc methodum sibi constituerunt veterum & recentiorum Interpretum plerique; hanc nos etiam post ipsos sequemur.

Hujus Operis autoritas Judaeis aequae & Christianis probatur; unumque inter Veteres refragatorem habuisse legimus Theodorum Mopsuestenum. Scriptor ille per summam impudentiam asserere non dubitavit (\*), nunquam in Ecclesia & Synagoga ejus Scripti lectionem permissam fuisse; carmen vero esse convivale potius & nuptiale, simile Dialogo, quod olim Plato de Amore scripsit. Nihil in eo propheticum Jesum Christum respiciens contineri (b); nihil de historia Regni Salomonis; nihil ad formandos mores, sapientiamque; sed meram putamque apologiam initti a Salomone cum Aegyptia muliere connubii; cuius rei invidiam purgandam apud populum suum Rex sapientissimus ita suscepit, ut Sponsae suae eo scripto carmine blandiretur. Dubitatum est etiam de ejus autoritate apud Rabbinos nonnullos; sicut & rejicitur ad Anabaptistas, non sine addi-

to Libri pessimi elogio Flagitiosum Librum habuisse fertur Castalio (c); alii, quod nunquam scriptum Dei nomen praeserferat, inter apocrypha amandant; quae potissima erat pariter ejusdem rejiciendi Theodoro Mopsuesteno ratio.

Grotius, vir ille celebris, qui sibi tantum licentiae in eum Librum usurpavit, quantum castae Lectorum aures, quique debitum servare norunt in Scripturam obsequium, vix ac ne vix quidem patiuntur, id primo contendit (d), secretum aliquod Salomonis cum filia Regis Aegypti colloquium eo Opere contineri, cujus colloqui, inquit, testes adhibiti sunt juvenes Sponsi socii, & puellae sponsae comites. Optime ista quidem. Addit deinde, Salomonem totum rei maritalis arcanum honesto quodam verborum involucre occultasse; ex quo factum, inquit, ut Judaei ejus Libri lectionem non nisi nobili aetate viris permittant. Ad se vero quod attinet, sedulo ipse quidem in suo Commentario aggreditur arcanum illud, a Sapientissimo Principe casto verborum amictu velatum, denudare. Quare salacissima omnia in medium producit, Salomoni plurima affingens, quae neque sine horrore audirentur, neque cogitasse ipsum unquam, dum scriberet, persuasum habemus. Haec detegere profecto non nisi corrupto corde & Spiritu Author potuisset. Si Rex ille sapientissimus ea doceret in suo Opere, quae Grotius observat, ejus carminis lectio non viris tantum infra trigessimam aetatis annum, sed sexagenarii etiam & matrimonio copulatis interdenda fuisset. Aeterna oblivioni tradidit oporteret salacissimum Librum, ex quo virus potius quam puri latices potarentur. Hanc de Sanctissimo Opere ideam avertat a nobis Deus. Sed illud monendum censemus, plus cautionis quam soleat plerumque adhibendum esse adversus Scriptorem istum magni virum nominis, qui sub obtentu modestiae & vastissimae eruditionis, perniciem Religioni molitur, in dubium revocans tum finem, cum exitum oraculorum; quae omnia a Jesu Christo avertens, & perniciosas plerumque Rabbiorum expositiones adoptans, omnia ad factum aliquod Veteris Testamenti divertit.

Neque id satis; sed addit de eodem Cantico Canticorum idem Grotius. Creditur, ait, Salomon, quod Operi huic suo vulgi aestimationem conciliaret, quod magis perennaret hoc scriptum, eo illud artificio digessisse, ut nulla Textui illata vi omnia ad allegoriam de amore Dei erga populum suum detorqueri possent; quem proinde sensum Paraphraestes Chaldaeus, & R. Maionides adoptarunt. Cum vero Dei in Synagogam amor Symbolica quaedam habeatur imago casti alterius amoris Jesu Christi cum Ecclesia; hinc non impropero successu Authores Catholici eundem sensum in Opere investigarunt. Quae Grotii sententia perinde valet, ac si disertis verbis fateamur, Salomonem Synagogae aequae & Ecclesiae illustrasse, utramque dolo malo sefessisse in re maxime seria & majoris momenti, probandum veluti autoritatis Di-

d Praefat. in hunc Lib.

c Scaligeriana.

Divine Opus tradendo, in quo nihil praeter lascivientes amores & connubiales ageretur. Quis credat decipi potuisse a callidissimo Rege omnes Judaeos pariter & Christianos Scriptores, Concilia omnia, & ipsum quodammodo Deum, in eo maxime providentia sua invigilantem, ne unquam prophanum aliquid vel non Divinum Scriptum tamquam divinitus inspiratum haberetur, neve in Canonem Sacrorum Librorum recenseretur Scripta, quibus maxime virus diffunderetur? Quid distu magis horrendum? Equis unquam crederet id ausum fuisse Doctorem Christianum, Canticum illud tamquam Divinum Opus adeo probantem, ut Commentario suo exponendum aliis aggredere? Tantum sibi Grotius suscepit, quem tamen virum & laudare omnes & legere student. Ed virum deduxit libertas, & singularitate opinionum suarum parendi amor.

His excessibus autoritatem opponimus omnium Ecclesiarum qua ex Catholicis, qua ex Protestantibus, Judaeorum pariter omnium saeculorum, Conciliorum omnium, Patrum, Interpretum uno assensu Opus inter canonica & fide Divina asserta recipiuntur. Si Dei nomen nullibi legitur, ejus rei in causa fuisse potest, quod perpetua in eo Scripto regnet allegoria, in qua Sponsi nomine Deus ipse & Jesus Christus designetur, ed enim maxime spectasse Author creditur; ipsaque Operis natura poscebat, ut latens sub allegoria sensus nunquam proderetur. Porro velamina illa subducere nudamque veritatem demonstrare ad nos, qui Commentaria scribimus, pertinet. Frequentissima sunt hujus generis in Scriptura allegoriae, quemadmodum toties Synagoga & Ecclesia sub idea vineae [c], vel Sponsae (f) exhibitae satis demonstrant. Quis autem talia legens in Scriptura, expressum Dei nomen postulari, Dei nempe, hujus Sponsae viri & hujus vineae possessoris? Relictum id cura Scriptorum, qui latentes Scripturae sensus promendos susceperunt.

Ejus Operis stilus rebus maxime respondet, vividus, mollis, blandus; ut ipsum per se Opus omnibus numeris absolutum,

c Psal. 79. 9. Isai. 5. 1. &c. Jerem. 2. 21. Ezechiel. 17. f Matt. 20. 1. 21. 33. &c. Vide Isai. 54. 5. & 61. 10. & 62. 4. 5. Jerem. 2. 32. Ezechiel. 16. 8. Osee 2. 16. Matt. 9. 15. & 22. 2. & 25. 1. Joan. 2. 29. & 2. Cor. 11. 2. Ephef. 5. 24. Apoc. 19. 7. & 22. 2. 7.

nulla etiam divina revelatione accedente haberetur. Ambo conjuges conceptus suos figuris, anigmatibus, comparisonibus ex agro deductis ornant. Nihil frequentius occurrit quam unguenta, aromata, fructus, vinum, horti, fontes, ejus regionis deliciae. Apparent quidem interdum longius deductae, & vehementiores figurae; sed indulgendam aliquid qua ingenio Orientalium, qua calentis amoris igniculis.

Cum nostra aetate Castalio Librum illum nimis affectata vocularum blanditie vertisset, quas ille voces ex prophanis Authoribus mutuans, perniciosas quasque passiones veluti depingere jufferat, ejus consilium Theologi omnes, etiam Protestantes, improbarunt. Visus est enim debito in Opus illud Sacrum obsequio defuisse, & fannis impiorum expoluisse opus venerabile; loquentes nimirum exhibens Sponsum & Sponsam tantquam duos perditos amantes, qui prophana plurima mutus colloquiis effutirent. Theodorus Beza, Castalioni in primis aversus, quem in alio reprehendebat errorem, ipse pariter adoptavit; parvo quodam elegantique libello Latinis carminibus Canticum tradens. Porro scriptor ille indigna adeo Scripturae gravitate verba utriusque Conjugi affingit, ut honestissimorum quorumcumque invidiam in se provocaret (g). Gilbertus Genebrardus, cui maxime indignus videbatur in re tam seria lusus, eo quo tenebatur pro defensione Catholicae Religionis zelo, probrosum illud Bezae Scriptum exagitantem suscepit, dedecus omne relevans, errores detegens, & prolixam Scripta epistola coram Ministris Calvinianis Scriptorum accusans, tum carmina carminibus opponens, pro mollibus lascivientibusque seria & elegantissima dedit, doctissimo pariter in Canticum adjecto Commentario.

Paraphrasis Chaldaea ejus Operis prolixam refert & morosam omnium, quae in Canticis leguntur, cum historia Judaeorum compositionem. Graeca Versio exactissima est. Du Bos in nova editione Septuaginta Franeckeræ 1709. Versionem Cantici ipsius esse Symmachi Opus arbitratur.

g Legitur e.g. Ecce tu bellissima, His columbae praeclara Patulis ocellulis. Hinc & inde pendulis Crispulis cinnulis Paulò post. Talis est tibi coma. Mollicella crispula. Et alibi. Callida. Altero me patulo Contuens ocellulo, Altero cervicula. &c. Et Infra. Hiscè me quam blandulis, Unice charus mihi Excitavit voculis. Tu mea d' sororecula, Tu mea d' columba. Et alia ejusdem saporis.